

§ 72. ... <obli>gatum velit temere beneficium, quod non acceperit, confitendo.

At id etiam gregarii milites faciunt inviti, ut coronam dent civicam et se ab aliquo servatos esse fateantur.

... Inductionem sollertissime facit ex iis militibus, qui protecti a commilitonibus suis veluti testimonium gratiae referant iisdem coronam civicam dando, quam traditur de gramine fieri solitam. Et mire extenuavit gregarium militem dicendo invitum hoc facere, ut offerens coronam civicam 10 <se> debitorem beneficii constituat. Quod igitur anxie et moleste gregarius miles patitur, id nullis acceptis beneficiis onus verecundiae suae non inponeret vir consularis.

§ 74. Nolo cetera, quae a me mandata sunt litteris, recitare.

Suffecerat enim de ea oratione dixisse, qua vel senatui vel populo gratias egit. Nunc autem et de versibus suis facere mentionem videtur, quos intempestivum sit in iudiciali disceptatione recitare. Non potuit tamen in totum de is tacere. Nam de consulatu suo scripsit poëtico metro, 20 quae mihi videntur opera minus digna talis viri nomine.

§ 75. Nam istius verbi: 'quo usque' poterat haec esse invidia: 'Datus est tibi ille; non facis finem?'

... valde, quominus inpudens videretur haec compensativa defensio dicente Laterense: 'quousque vis servatos esse quos diligis? Et pro Cispio causam dicente sic rogasti et precibus tuis ambitum paene movisti!' opposuit acutissimam responsionem merito haec ab eo dici potuisse, si pro illo impetrasset, porro autem, cum pro Cispio non optinuerit, vel pro hoc obtinere debere, qui et innocens 30